

BOLETÍN ECLESIASTICO

DEL

Obispado de Astorga.

---

---

RESOLUCIONES INTERESANTES DE LA SAGRADA CONGREGACION DE RITOS

I

**Sobre el canto de mujeres en las iglesias.**

Quo divini cultus decori prospiciatur et sacrae functiones recte ac rite peragantur in Diœcesi Plocensi, hodiernus Rvms. Episcopus ejusdem Diœcesis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quæ sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit, nimirum: In Diœcesi Plocensi, sicut in aliis Poloniæ Diœcesibus extat mos ut in missis solemnibus, præsertim diebus per annum solemnioribus, canant *Gloria, Graduale Credo*, et in choro super majorem Ecclesiæ portam, ubi organum est, constituto, mulieres ac puellæ, sive solæ ipsæ cum organista, sive juvenibus et viris conjunctæ, in quibus cantorum choris mixtis vocem *soprano* exequuntur puellæ. Quum hujusmodi morem quædam Ephemerides polonicæ defendant contra plures Ar-

cheologiæ et Liturgiæ cultores qui illum improbant, quæritur:

I. An mos supradescriptus licitus sit et conformis legi et sensui Ecclesiæ?

II. Et quatenus negative ad I. an saltem tolerari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, reque mature perpensa, respondendum censuit: Negative ad utrumque, et Decretum n. 3964 *De Trusillo* 17 Sept. 1897 etiam ad hunc casum extendi declaravit.

Atque ita rescripsit die 19 Februarii 1903.—S. CAR. CRETONI, *Praef.*—D. PANICI, ARCHIEP. LAODICEN., *Secret.*

## II

### Sobre servicio coral.

Revmus. Dnus. Franciscus Riggi, Præfectus cæremoniis pontificiis et Canonicus patriarchalis Basilicæ Liberianæ, uti delegatus a Rmo. Capitulo ejusdem Basilicæ, sacrorum Rituum Congregationi ea quæ sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit; nimirum:

Rmum. Capitulum Liberianum constat sexdecim canonicis juxta ordinem hierarchicum distinctis, nempe: octo presbyteris, quatuor diaconis et quatuor subdiaconis. Canonici autem episcopali dignitate insigniti, si in ingressu inter diaconos vel subdiaconos relati sint, postea ad primum canonicatum presbyteralem vacantem ascendunt.

Exinde nonnulla dubia circa officia in choro vel in Capitulo gerenda a Canonico digniori vel seniori orta sunt: videlicet:

I. *Canonicus dignior est idem ac Canonicus senior?*

II. *Ad quem spectat preces ante et post Capitulum recitare, quum in Constitutionibus Capitularibus, cap. XVII, §. 4, legatur; «Incipiant ab oratione quam Vicarius vel, ipso absente, dignior Canonicus recitabit»?*

III. *Item ad quem Canonicum spectat præbere celebran-*

*ti candelam benedictam die Festo Purificationis B. M. V. et palmam benedictam dominica palmarum, eidemque impo-  
nere sacros cineres Feria IV cinerum?*

IV. *Ad Canonicos digniores aut ad Canonicos seniores pertinet associare Cardinalem Archipresbyterum?*

V. *Canonici juniores obviam ire solent Cardinali Poenitentiario Majori ab Patriarchalem Basilicam Liberianam, Feria IV Majoris Hebdomadae, accedenti cum suo tribuna-  
li ad audiendas sacramentales confessiones. Servari-ne potest haec consuetudo?*

VI. *Item continuari-ne potest similis usus cum Legatus Major Regni Hispanici ipsam Basilicam adit pro audienda Missa de S. Ferdinando III, Reg. Conf.?*

VII. *In Constitutionibus Capitularibus, cap. IV, §. 3. legitur: «Quotiescumque Missa solemnis in Pontificalibus celebratur, munus assistentis Decanus Capituli vel, eo impedito, antiquior in presbyteratus ordine Canonicus genere debet.» Quaeritur: Si Decanus Capituli non sit ex ordine presbyterali, poterit-ne hoc munere fungi?*

VIII. *Ad quem Canonicum spectat obsequentem sermo-  
nem habere ad novum Cardinalem Archipresbyterum; et of-  
ficium exequiale peragere cum corpus Cardinalis Archipres-  
byteri defuncti ad Basilicam deducitur?*

IX. *Constitutiones Capitulares, cap. III, §. 5, statuunt: «Non prius beneficiatus hebdomadarius intonare incipiat: Domine labia mea, vel Deus in adjutorium quam Vicarius, vel, ipso absente, dignior et antiquior Canonicus assurgat, detque ei signum id faciendi.» Quaeritur: Hic Canonicus debet esse dignior aut antiquior?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omni-  
busque maturo examine perpensis atque discursis rescri-  
bendum censuit:

Ad I.<sup>um</sup> *Negative.*

Ad II.<sup>um</sup> *Absente Emo. Archipresbytero ejusque Vicario,*

*spectare ad digniorem ut ex decreto, n. 1.299, Asculana, 30 Augusti 1664.*

Ad III.<sup>um</sup> *Absente Vicario, ad digniorem.*

Ad IV.<sup>um</sup> *Si Emus. Archipresbyter pergat in choro ut pontificaliter celebret, consocietur a Diacono et Subdiacono Canonicis, qui illi in Missa assistunt: secus a duobus Canonicis, ex presentibus, dignioribus, non Episcopis.*

Ad V.<sup>um</sup> *Affirmative.*

Ad VI.<sup>um</sup> *Affirmative.*

Ad VII.<sup>um</sup> *Negative.*

Ad VIII.<sup>um</sup> *Quoad primam partem, ad Canonicum digniorem, vel Secretarium, juxta consuetudinem; quoad secundam, ad seniorem ex ordine presbyterali.*

Ad IX.<sup>um</sup> *Ad digniorem, juxta decretum n. 1976, Montis Politiani, 13 Junii 1697.*

Atque ita rescripsit, Die 8 Maji 1903.—L. ✠ S.—S. CARD. CRETONI, S. R. C. Pæf.—† D. PANICI, Arch, Laodice., S. R. C. Sec.

### III

#### **Sobre bendición de casas el Sábado Santo.**

Ab hodierno Parocho loci N., diœceseos N., nuper sequentia postulata huic S. Congregationi subjecta sunt, nempe:

1.º An ob extensionem parœciæ benedictio domorum in Sabbato Sancto fieri valeat horis vespertinis Feriæ VI in Parasceve?

2.º Et quatenus negative, an in casu obtineri possit indultum?

3.º An benedictio domorum in Sabbato Sancto sit de juribus parochialibus?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Comissionis Liturgicæ, respondendum censuit.

*Negative ad I et ad II juxta Decretum 3.645 «Isclana»*

20 Novembris 1885, ad II; et in casu benedictio domorum poterit fieri durante hebdomada octavæ Paschatis.

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, diē 7 Martii 1903.—S. CARD. CRETONI, *Præfectus*.—† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

#### IV

**Concesión que pueden hacer los Prelados en orden á oratorios, celebración de misas, etc.**

NIVERNEN.—Rmus. D. Stephanus Antonius Lelong, Episcopus Nivernen., quæ sequuntur Sacrae Rituum Congregationi exposuit, opportunam declarationem, seu resolutionem humillime exostulans, videlicet:

I. Potestne Episcopus jure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi 1.º in Capellis seu Oratoriis publicis piarum Communitatum etiam earum quæ clausuram non habent: 2.º in Capellis seu Ordinariis piarum Communitatum, quæ licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis: 3.º in Capellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quæ sunt publica vel semipublica eo sensu quod habeant ingressum in via publica, vel prope viam publicam, ut semper cuilibet volenti intrare permittatur?

II. Potestne Episcopus alia Oratoria præter Capellam seu principale Oratorium erigere in piis Communitatibus, sive ob numerum Sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus Missa dici possit; sive in gratiam infirmorum, qui nequeunt adire Capellam seu Oratorium principale?

III. Potestne Episcopus jure proprio concedere facultatem asservandi Ssmum. Sacramentum 1.º in Ecclesiis seu Capellis publicis quæ tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus Parœciæ inserviant: 2.º in Capellis piarum Communitatum publicis, id est quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante, et quæ habitantibus omnibus aperiuntur: 3.º in Capellis seu Oratoris interioribus piarum Communitatum, quando non habent Capellam

seu Oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in Seminariis?

IV. Potestne Episcopus jure proprio licentiam concedere uni Sacerdoti secundam Missam diebus Dominicis aut festivis de præcepto celebrandi 1.º in Oratoriis seu Capellis quæ a S. Sede vel vi Indulti ad ea concessi fuerunt aprobata, quando propter distantiam a parochiali Ecclesia ista secunda Missa proficere potest vcto Parochianorum, qui aliter Missam non audirent vel saltem difficillime: 2.º in duabus Ecclesiis in eadem Parochia existentibus, quando pro utraque deservienda unicus adest Sacerdos, et tamen non sine detrimento religionis Missa in una tantum celebraretur: 3.º in eadem Ecclesia quando aliter pars sat notabilis Parochianorum Missam non audiret: 4.º quando valde utilis est, vel etiam necessaria ista secunda Missa, ut communicari a Fidelibus cum majori facilitate et ædificatione frequentius possit?


Sacra itaque Rituum Congregtio, referente ejusdem Secretario, hisce postulatis sic respondit:

Ad I. Episcopus utatur jure suo in omnibus casibus expositis.

Ad II. Si porro ex piarum Communitatum conditione necessario sit erectio alterius Oratorii, pro ejus erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda.

Ad III. Implorandum est indultum a Sancta Sede quoad omnia postulata.

Ad IV. Posito quod Episcopus jam facultatem obtinuerit a Sancta Sede ad concedendum Sacerdotibus suæ Diœcesis indultum bis in die festo Sacrum litandi, erit suæ prudentiæ hac speciali facultate in casu necessitatis pro populi bono uti; si vero ejusmodi facultate ipse non sit instructus, eam impetrare poterit. Atque ita respondit ac declaravit. Die 8 Martii 1879.—Ita reperitur in Actis et Regestis Sacrorum Rituum Congregationis. Die 23 Januarii 1902.



## EX. S. CONGR. EPISC. ET. REGUL.

---

*INSTRUCTIO quoad Clericos Saeculares ad Regularis qui Universitates Gubernii studiorum causa frequentant.*

Perspectum est Romanos Pontifices, quavis aetate et ubique locorum, cogitationes, curasque suas contulisse in rectam institutionem eorum, qui in sortem Domini vocati sunt. Scholas enimvero, Seminaria, Universitates ipsas studiorum vel erexerunt vel favore prosecuti sunt, in quibus utriusque electi alumni tum humanioribus litteris, cum scientiis omnibus sacris et profanis imbui, et academicis etiam quibuscumque gradibus honestari possent. Ita tamen ut ad veram germanamque scientiam cum fide et pietate conjunctam informarentur, quandoquidem doctrinae ac disciplinae fidei ac morum moderatio et vigilantia a Sede Apostolica et Episcopis exercebantur.

Contigit autem hisce diebus, ob mutatas rerum vires in Italia nonnullos á c'ero sive saeculari sive regulari adstrictos censerí ad certos studiorum cursus perficiendos apud civiles Gubernii Universitates: a quibus sapiens ac salutifera Ecclesiae vis, sacrorumque Pastorum vigilantia omnino excluduntur. Cum res ita se habeant, quae quantaque discrimina, et damna ecclesiasticae juventuti obvenire possint nemo est qui non videat. Cautè itaque providendum est, ut et instantia pericula dirigenter vitentur. Quamobrem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium Negotiis praeposita praesentem instructionem, ad mentem Sanctissimi Domini Nostri Leonis P. P. XIII. Episcopis ac Superioribus Ordinum et Congregationum in Italia impertire constituit.

I. Quatenus in Universitates admittantur etiam alumni qui sibi idoneitatem comparaverit extra lycea Gubernii Episcopi ac Superiores Ordinum et Congregationum religiosorum subditos suos praeparandos non mittant ad dicta lycea sed potius ad Instituta ecclesiastica, ad scholas, ad collegia quarum omnino explorata sit optima ac vere catholica instruendi ratio. Si vero ob talium Institutorum, scholarum, collegiorum

defectum, vel ob alias graves causas, aliquos mittere ad lycea Gubernii omnino necesse sit, accurate serventur hoc in casu quæ infra de accessu ad Univessitates constituuntur.

II. Nemo e sæculari clero Universitates Gubernii frequentet absque expresa licentia Episcopi sui; qui in ea concedenda præ oculis tantum habeat quid Diœcesis necessitas exigat, ut in Institutis ad introductionem erectis, sive erigendis, idonei et diplomate muniti professores comparentur.

III. Ordines et Congregationes quæ munus docendi non profitentur non mittant alumnos suos ad Universitates Gubernii: Ordinum autem et Congregationum ex instituto docentium novitii nunquam ad dictas Universitates mittantur: professi vero eas non frequentent nisi præ habita expresa licentia Superioris Generalis, qui eam concedit iis tantum qui requiruntur et sufficiunt pro suis collegiis et scholis.

IV. Utriusque clerici alumni ea tantum ementiantur in dictis Universitatibus studiorum cunicula quæ referuntur ad lauream vel ad gradus academicos, quibus indigent, obtinendos.

V. Maximi ponderis est mittendorum ad Universitates accuratus delectus. Venia non detur alumniis antequam laudabiliter absolverint integrum cursum tum philosophiæ, tum Teologiæ, a statutis Diœcesanis pro clero sæculari, a Constitutionibus Ordinis seu Congregationis pro religiosis prescriptum.

VI. Attendendæ equidem sunt in mittendis intellectus, vis et perspicacia, assiduitas in studiis, ingenii indoles, quam bene educatam esse decet, fortem etiam et boni propositi tenacem. Sed summopere inspiciendum et quænam sit in diligendis animi honestas ac morum integritas. Sint oportet juvenes qui donum Fidei et vocationem qua in sorte Domini vocati sunt maximi faciant: catholicam Ecclesiam ardentem diligant; venerationem et obedientiam erga sanctam Sedem Apostolicam mente, verbo et opere profiteantur; juvenes qui Sanctissimæ Religionis nostræ documentis imbuti et piis exercitationibus addicti, morum integritate et vitæ vere ecclesiasticæ laude præfulgeant. Tales denique deligantur qui fundatam ingerant spem fore ut sua



quisque agendi ratione ecclesiastico cœtui honorem addant per supereminentiam in scientiis, ad venerationem vindicent per suarum laudem virtutum.

VII. Ad pericula tutius præcavenda curent Episcopi ut sui ecclesiastici alumni quandiu Universitatem celebrant morentur in Seminario: hoc non extante, in aliqua domo religiosa, vel saltem apud aliquem probatum Sacerdotem sæcularem, nisi forte habeant ibi parentes, in quorum domo habitare possint. Laude etiam ac favore digni viderentur sollertes Sacerdotes, vel sæculares viri spectatæ pietatis, qui instituerent, ubi fieri potest, aliquam hospitalem domum pro studentibus ecclesiasticis: in qua isti invenirent, modico impendio, habitationem tutam, studiorum quieti et piæ vitæ exercitationibus accommodatam.

VIII. Si Universitas sita sit extra Diœcesim, Ordinarii alumnorum hos commendent Episcopo loci cui alumni se sistere cum advenerint, et identidem obsequium præstare teneantur dum ibi permanserint. Ordinarius et Episcopus loci mutuo conveniant ut alumni committantur curæ et vigilantia alicujus Sacerdotis virtute, scientia ac juventutis experientia præstantis, qui eos dirigat et de eorum agendi ratione identidem Ordinarium instructum reddat. Exigat præterea Episcopus a suis alumnis frequentes epistolas: at ipse hoc epistolari commercio libenter utatur ut consiliis et monitis eos instruat, excitet ac sancto proposito confirmet.

IX. Superiores Ordinum et Congregationum præferant semper Universitates locorum in quibus habent sui Ordinis vel Congregationis Domum; et in hac studentes habitare præcipiant. Si Domum propriam non habeant in ulla Universitatis Sede, curent omnino ut alumni recipiantur in aliam Domum religiosam, vel in Seminarium Episcopale, vel in aliud institutum ecclesiasticum. Deficiente Conventu aut Domu propria, nunquam mittant ad Universitatem frequentandam unum tantum suis subditis, sed duos simul aut plures, ut se invicem custodiant, adjuvent et ad officiorum suæ vocationis implementum excitent. Juveant superiorem Domus vicinioris, vel alium religiosum virum virtute, scientia ac sollertia præditum, alumnos ipsos

identidem visitare; qui eorum vitæ genus, studiorum assiduitatem exploret ac referat; ut opportunis consiliis Superior Generalis, prout opus fuerit, providere possit. Curet præterea Superior Generalis ut alumni sibi litteras dent, et frequentes ipsis rescribat, ut eorum unionem cum Ordinis seu Congregationis capite foveant, eosque paternis instructionibus ac monitis in obedientiæ atque observantiæ spiritu conservet.

X. Zelo ac prudentiæ Episcoporum et Superiorum committitur cura eam Universitatem inter plures eligendi, in qua minora prævideantur pericula, faciliorque ex adjunctis appareat usus consiliorum, quibus quieti, moribus et progressibus alumnorum prospectum sit. Si forte contingat aliquem Professore habere aliquando lectiones ex professo contra religionem vel contra mores, curent Episcopus et Superior Generalis ut alumni vel transeant ad aliam Universitatem, vel hujusmodi lectionibus non adsint; freti nimirum dispositione legis quæ inscriptionem quidem ad cursum Universitatis requirit, sed ad omnes et singulas lectiones assistentiam non exigit. Ceterum, hoc semoto casu, alumni ecclesiastici lectionibus diligentes adsint, ut proprio in scientiis progressui consulant, condiscipulis exemplum assiduitatis, Professoribus vero obsequii testimonium exhibeant.

XI. Quod ad libros attinet et ad lectionum compendia, in quibus nonnulla fortasse occurrant contra religionem, aut mores, aut veritatem ecclesiasticæ historiæ aut jura catholicæ Ecclesiæ vel Romani Pontificis, quatenus talium librorum vel compendiorum usus vitari nequeat, Episcopi et Superiores prout oportet provideant in casu; ac præterea curent veneno antidotum præbere per optimos libros suis alumnis comparandos, perque auxilium Sacerdotum doctrinæ, pietate ac experientia prestantium, qui alumnis opem ferant ad dignoscendo sophismatum insidias, et ad refutandos errores, quibus forte libri scholares vel lectionum summaria ificnerentur.

Enixe autem alumnos suos deterreant a lectione ephemeridum vel periodicorum libellorum qui falsis vel periculosis doctrinis, narrationibus, atque illicitis

decipiunt, ac recte sentiendi agendique rationem sensim sine sensu turbant atque pervertunt.

XII. Episcopi et Superiores religiosi hortentur subditos suos ut Moderatoribus et Professoribus Universitates observantes se ostendant cum dignitate; condiscipulos vero urbane quidem, omnes, at neminem valde familiariter tractent.

Prohibeant, omnino ne nomen dent Circulis aut aliis quomodocumque vocatis consortis politicæ vel contentiosæ indolis; nec umquam adsint convocatis fortasse studentium cœtibus, quorum finis aut propositum sit adversus Moderatores vel Profesores conqueri sive quomodocumque protestari.

XIII. Episcopi Sedem habentes in civitatibus Universitatum curent Circulos sive Sacerdotes studentium ecclesiasticorum peramanter fovere ubi existunt, sollicitè fundare ubi desiderantur, Adhibeant ad hoc operam Sacerdotum sive sæcularium, sive regularium quos magis idoneos judicaverint; quorum unus saltem Assistantis ecclesiastici munere fungatur. Hujus Assistantis erit studentium conventus indicere, eisque præsidere. In his conventibus, studentes ecclesiastici semotis politicis contentionibus et partium studiis, de humanioribus litteris, de historicis disciplinis, de philosophicis vel teologicis thesibus diserant, decerent vel lengant. Nec omittant pias quasdam preces simul omnes fundere, aliosque opportunos religionis ac pietatis actus statis diebus implendos constituere: ita ut in his consotationibus laudabilis æmulatio fraterna charitas et christiana pietas regnent.

In ecclesiasticorum Circulos admitti etiam poterunt, caute tamen et approbante Assistente ecclesiastico, studentes sæculares, at ii tantum, qui sentiendi æque atque agendi ratione bene audiant, religione, pietate, optimis moribus commendentur.

XIV. Episcopi et Superiores religiosi suos quisque studentes enixe hortentur ut in sanctæ vocationis spiritu firmiter perseverent. Ad quem finem mediis omnibus efficacioribus alacriter utantur oratione scilicet, Sacramentorum frequentia, piorum actuum exercitio; vanitatum despectu, malorum et etiam disidiosorum hominum fuga. Religiosis præsertim studentibus est

commendanda fidelitas in actibus observantiæ, qui eorum statui consentanei sunt, videlicet: singulis diebus mentalis oratio, examen conscientiae, lectio spiritualis, silentium et recessus:

Annualium vacationum tempore studentes religiosi redeant omnino ad suum Conventum vel ad Domum religiosam sui instituti; ibique regularis observantiae actus cum Communitate resumant. Omnes studentes, e clero sive saeculari, sive regulari, dictarum vacationum tempore vacent sanctis spiritualibus Exercitiis.

XV. Si vero, non obstantibus cautelis et diligentis hucusque indicatis, aliisque quas pastoralis ac paternae sollicitudo suggesserit, Episcopi aut Superiores religiosi noverint aliquem ex suis subditis a recto tramite veritatis aut virtutis declinare, absque mora ab Universitate revocent; praestat enim eius cursum studiorum abrumpere, potiusquam ita permittere ut animae illae suae detrimentum patiatur.

Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 21 Julii 1896.

I. CARD. VERGA PRAEF.

A. Trombetta *Pro Secretarius*.

---

## E. S. R. UNIV. INQUISITIONE

---

Utrum in facultate dispensandi in articulo mortis super impedimentis matrimonii, intelligatur concessa facultas declarandi prolem legitimam.

*Fer. IV, 8 Julii 1903.*

Huic Supremae Congregationi S. Officii propositum fuit enodandum sequens dubium:

Utrum per litteras diei 20 Februarii 1888, quibus locorum Ordinariis facultas conceditur dispensandi aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus firmis conditionibus et exceptionibus in iisdem litteris expressis, ac

per posteriores litteras diei 1 Martii 1889, quibus declaratur hujusmodi facultatem parochis subdelegare posse, intelligatur concessa etiam facultas declarandi ac nuntiandi legitimam prolem spuriam, forsitan a concubinariis, vigore dictæ facultatis dispensandis, susceptam, prout a S. Sede in singulis casibus particularibus dispensationum matrimonialium concedi solet;—an contra pro susceptæ prolis legitimatione necesse sit novam gratiam a S. Sede postea impetrare.

In Congregatione Generali S. Romæ et Universalis Inquisitionis habita coram Illmis. ac Rmis. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus generalibus, proposito suprascripto dubio, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Affirmative quoad primam partem, excepta prole adulterina, et prole proveniente a personis Ordine Sacro aut Solemni Professione Religiosa ligatis, facto verbo cum SSmo. Quoad secundam partem, provisum in prima.*

Sequenti vero Fer. V, die 8 ejusdem mensis et anni, SSmus. D. N. Leo Pp. XIII, per facultates Emmo. Cardinali hujus Supremæ Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.—J. CAN. MANCINI, S. R. et U. Inquisit. Not.

---

**Utrum ordinatio presbyterorum sit valida quando in calice infusum fuit cum vino tantum aquæ ut hæc superasset quintam partem?**

*Beatissime Pater:*

Ocassione cujusdam Ordinationis Sacræ, compertum fuit in calicem qui ad Ordinationem Presbyterorum fuerat adhibitus, a ministris infusum fuisset tantum aquæ, ut credatur hæc paulo superasse quintam partem. Hisce positis, quæritur:

I. Utrum valida censi possit Ordinatio præfata?

II. Quatenus negative, quid sit agendum?

*Fer. IV, die 11 Martii 1903.*

In Congregatione generali coram Emmis. ac RRmis. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, habita, propositis suprascriptis dubiis, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Acquiescat.*

Sequenti vero fer. V, die 12 ejusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Leo Pp. XIII, per facultates Emmo. Cardinali hujus Supremæ Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.—J. CAN. MANCINI, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

---

Dubium de cautionibus exigendis in matrimoniis mixtis.

BEANISSIME PATER:

...Cautionibus ab Ecclesia requisitis de conditionibus implendis ad hunc usque diem scriptis satisfactum est. Attamen magna oritur difficultas pro obtinendis hisce cautionibus, quando mulier catholica matrimonium inire intendit cum milite acatholico in gradu saltem majore constituto. Viget enim in N... regionibus decretum regium sub gravibus pœnis prohibens quominus milites ullas cautiones præstent per litteras reversales, sive per juramentum, sive per simplicem promissionem. Quare ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus Ordinarius N. directionem certam hisce in casibus expostulat, et quidem quærit:

I. An ab impedimento mixtæ religionis dispensari possit, si pars acatholica (quæcumque est) cautiones requisitas per litteras reversales, sive per juramentum, sive per promissionem saltem omnimode recuset?

II. An sufficiat assertio partem catholicam de conditionibus implendis sibi fidem præstasse?

III. An permitti possit, ut ante vel post matrimonium pars catholica etiam coram ministello acatholico

ad prestandum consensum matrimonialem se sistat, si pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhærere velle?

Et Deus...

*Feria IV, 10 Decembris 1902.*

In Congregatione generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, Emi. ac Rm. DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, propositis suprascriptis dubiis, ac præhabito voto RR. DD. Consultorum, respondendum decreverunt:

Ad I. *Negative, et detur Instructio 15 Novembris 1858 (1).*

Ad II. *Per se generatim negative, et ad mentem.* Mens est: Quod si in aliquo casu extraordinario talia concurrant adjuncta, ut Episcopus valeat sibi comparare moralem certitudinem tam de hujusmodi cautionis sinceritate pro præsentibus, quam de earum adimplemento pro futuro, specialesque omnino adsint rationes impediens ne consueto modo cautiones præstentur, ipsius conscientiæ et prudentiæ. Cæteroquin non obstante decreto regio; opportune exhibeatur in scriptis cautiones, sicut hucusque factum est; neque detur dispensatio nisi Episcopus moraliter certus sit eas impletum iri.

Ad III. *Negative, et detur Instructio 17 Februarii 1864 (2).*

Feria VI die 12 Decembris 1902, facta autem a R. P. D. Adessore S. O. relatione de his omnibus SSmo. D. N. Leoni PP. XIII, idem SSmus D. N. Emorum. Patrum resolutionem approbavit.

(1) In hac Instrukcione sequentia leguntur «...id gravibus dumtaxat de causis ægre admodum fecit (Sedes apostolica permittens matrimonium mixtum) et non nisi sub expressa semper conditione de præmittendis necessariis opportunisque cautionibus ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum; verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate catholice religionis educari omnino deberet. Quæ quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur» (Cfr. Gasparri. *De Matrimonio*. v. I. n. 452. p. 293 299).

(2) Cfr. Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 1431, p. 533, et Gasparri *De matrimonio*, v. I. n. 566, p. 310.

**SOBRE RECITACION DEL «CREDO»**  
**EN ALGUNAS MISAS**

---

1. Quando Sacerdos celebrat in propria Ecclesia, die non impedita, Missam votivam de die infra Octavam B. Mariae Virginis aut alicujus Sancti, de quo tantum commemorationem in Officio recitavit; quaeritur: An in ejusdem Missa *Credo* dicendum sit, si nempe illa Octava *Credo* habeat?

2. An idem applicandum sit ejusmodi Missae celebratae in aliena Ecclesia?

3. An idem extendendum sit ad quamlibet Missam de die infra Octavam, sive sit privata sive solemnis, sive privilegiata?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Affirmative in omnibus, juxta Decreta praesertim, N. 3862, *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895; N. 3922 *de Missis votivis* 30 Junii 1896, III, 3; et N. 4020 *Plurium Dioecesium* 24 Aprilis 1899.

Atque ita rescripsit ac declaravit.—Die 15 Maji 1903.—S. CARDINALIS CRETONI. *Praef.*—† D. PANICI, ARCHIEP. LAODICEN., *Secretarius*.

---





ANUNTIO. VOBIS. GAUDIUM. MAGNUM  
PAPAM. HABEMUS

Emminentissimum. et. Reverendissimum. Dominum

**JOSEPHUM. SARTO**

QUI. SIBI. NOMEM. IMPOSUIT

**PIUS. X**



DOMINUS. CONSERVET. EUM

ET. VIVIFICET. EUM

ET. BEATUM. FACIAT. EUM. IN. TERRA

ET. NON. TRADAT. EUM. IN. ANIMAM

INIMICORUM. EJUS

## EL NUEVO PONTIFICE

---

### **Algunos datos biográficos.**

José Sarto, de familia modesta, nació en Riese, diócesis de Treviso, del reino lombardo véneto, el día 2 de Junio de 1835.

Luego de comenzar sus estudios en Riese, fué enviado al Colegio de Castelfranco (Venecia), donde demostró condiciones excepcionales de aplicación y aptitud en todas las ramas de la enseñanza.

Después de brillantes éxitos en sus estudios, vistió el hábito telar y entró en el Seminario de Padua, del que salió para ser ordenado de presbítero en la catedral de Castelfranco por monseñor Antonio Farina, obispo de Treviso, confiándosele entonces el curato de Tombola, pasando en 1867 al de Sarzano.

El celo que demostró en el cumplimiento de sus deberes sacerdotales fué causa de que el obispo de Treviso le nombrase canónigo de su catedral, en la que ocupó los primeros puestos, siendo después elegido vicario general del obispado. En medio de sus múltiples ocupaciones tuvo tiempo para consagrarse al ministerio de las almas, siendo el director espiritual del Seminario diocesano.

En 1884 fué nombrado obispo de Mantua, donde fundó un Seminario y 10 Escuelas.

Permaneció allí nueve años, haciendo frecuentes visitas á Roma, porque León XIII le llamaba para consultarle sobre casos dudosos.

Premio de una Santa vida de Sacerdote y de los grandes servicios prestados á la Iglesia y al Pontífice, fué la exaltación de José Sarto al Cardenalato, fausto hecho que ocurrió el día 15 de Junio de 1893.

